



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm**

**Dript, Laurentius a**

**Nevhsii, 1673**

Caput Vigessimum. Primum. Encomium Marianum Vigessimum Quartum et  
Quintum. Vas Sprirituale & Insigne Devotionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43641**

*Ecce jam quibus potuimus votis ascendentem te ad filium deduximus & profecuti sumus saltem à longe Virgo benedicta: sit pietatis tue ipsam quã apud Deum gratiam invenisti notã facere mundo, reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adiutoriũ, & liberationem sanctis tuis precibus obtinendo. In hac quoq; die solemnitatis tuæ, & lætitiæ dulcissimum MARIE nomen cum laude invocantibus servulis, per te Regina clemens gratiæ suæ munera largiatur IESVS Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in secula Amen.*

CAPUT VIGESIMUM.  
PRIMUM.

*Encomium Marianum Vigessimũ  
Quartum et Quintum.*

VAS SPIRITUALE &  
INSIGNE DEVOTIONIS.

**E**Os qui in omnibus carnis delectamenta sectantur, inordinatisq; animi passionibus & affectibus fræna laxant, brutales

tales, carnales & sensuales appellare solemus, eò quod partem illam quæ nobis cum brutis animantibus communis est, scilicet appetitum sensitivum sequantur, sic eos non immerito spirituales, Angelicos, imò divinos appellamus; qui relictis passionum inordinatarum propensionibus, eisque rationis imperio subjugatis, ipsam rationem, quæ nobis cum spiritualib<sup>9</sup> creaturis communis est, scilicet Angelis, imò Dei divini-que luminis & intellectus quædam participatio (juxta illud *Psalm. 3. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*) sequuntur, ac ad eam velut amissimam & regulam se suamque dirigunt. Quod si ulla unquam creatura rationem velut regulam sequuta fuerit: fuit procul dubio Beatissima Domini Mater, quæ tam solerter & incessanter inordinatis affectibus, qui suboriri poterant, resistit ita sensus tam internos, quam externos gubernavit, ut verè de ea affirmari poterit quod *mortificationem IESU semper in corpore suo circumtulit.*

De S. Joanne Salvatoris & præcursore & præcone ipse disseruit, *Venit Ioannes neq<sup>2</sup> manducans neq<sup>2</sup> bibens* : Tamenim fuit sumendi

mendi

mendi cibi parcus, ut nec comedisse nec bibisse censeretur potuerit. Idem ipsum de gloriosissima Dei genitrice quis asseverare possit eam non solum non comedisse, bibisse, sed nec dormivisse, aut aliam naturæ commoditatem impendisse: tam enim fuit in admittendo cibo, potu, somno corporalibus commoditatibus parca: ut supra naturam ejus parsimoniam fuisse cui videatur: Ita D. *Ambrosius lib. I. de Virg.* Quid inquit ego exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam? alterum ultra naturam superfuisse, alterum ipsi pene nature defuisse, illic nulla intermissa tempora, hic congeminationes jejunio dies? Et si quando reficiendi successisset voluntas. Cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. Dormire non prius cupiditas, quam necessitas fuit. Nec aliter se habuit in aliarum virtutum actibus, & passionum eis obversantium mortificatione. Hinc idem D. *Ambr. nam de ceteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, que nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum.* En Angelicam ejus continentiam & castitatem. *Corde humilis, en humilitatem,*

*verbis*

verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior  
 legendi studiosior, non in incerto divitiarum,  
 sed in prece pauperis spem reponens, intenta ope-  
 ri verecunda sermone, arbitrum mentis solita  
 non hominem querere, sed DEVM, nullum le-  
 dere, bene velle omnibus, assurgere majoribus  
 natu, equalibus non invidere, fugere jactanti-  
 am, rationem sequi, amare virtutem. Quando  
 ista vel vultu lesit parentes? quando dissensit à  
 propinquis? quando fastidivit humilem? quan-  
 do derisit debilem? quando vitavit inopem?  
 eos solos solita virorum catus invisere, quos  
 misericordia non erubesceret, non prateriret  
 verecundia. Nihil torvum in oculis, nihil in  
 verbis procax, nihil in actu in verecundum,  
 non gestus fractior, non incessus solutior, non  
 vox petulantior, ut ipsa corporis species simula-  
 chrum fuerit mentis, figura probitatis. En om-  
 nes virtutum species: ut autem ejusdem  
 Virginis in componendis ad rationis regu-  
 lam actibus suis encomia compleat & per-  
 ficiat, Sic inquit MARIA intendebat omnibus  
 quasi à pluribus moneretur, sic implebat omnia  
 virtutis officia, ut non tam disceret quam doce-  
 ret, & quidquid ageret disciplina esset.

## §. I.

**S** Alutat ergò Beatissimam Domini Matrem Ecclesia, *Vas Spirituale*, quidni dicat *Angelicum*? *In carne enim præter carnem vivere* teste *B. Hieron.* *Angelicum est* : In carne esse & carnis oblectamenta non sequi sed fugere hominis est, in quo dominatur ratio, servit appetitus sensitivus & inferior. Talis utique fuit Virgo benedicta cujus tanta in sensitivam partem fuit Dominium & imperium, & ejusdem ad rationem subjectio, ut eam meritò novum in carne Angelum diceres: temperantia enim illius perfectissima fuit: si enim tantò perfectior censetur temperantia, quantò quis pravis concupiscentijs magis caret: utique cum Virgo beatissima non solum cibi, potusque lautitijs non inhiaret, sed singulari prærogativa ab omni ejusmodi cupiditate immunis esset: temperantia illius debuit fuisse perfectissima: unde & *S. Chrysost.* beatissimam Virginem ob ejus excellentissimam temperantiam meruisse, ut in Matrem Dei eligeretur arbitratur: verba ejus sunt *Beatissima MARIA ultra omnem humane nature modum modestiam, atque temperantiam*

*rantiam excoluit, atq; ob id universorum Dominum in utero gestare meruit.*

Vas ergò inquit non quidem contumeliæ sed summi honoris de quo apprimè verificentur quæ *Eccl. cap. 50.* de ea prædixit, quod sit *vas castrorum in excelsis in firmamento cæli resplendens, vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso*, de quo pius quidam ejusdem Virginis amator concinit.

*Vas excelsi, opus mirabile,  
Stella cæli, signum spectabile,  
Per te nobis fiat possibile,  
Quod rogamus & impetrabile.*

Cōparatur ergò Virgo superbenedicta, Vasi Spirituali, & insigni devotionis, à *Sap. Vasi auri solido ornato, omni lapide pretioso*: vasi, ob vacuitatem & aptitudinem ad continendum: Vas enim est naturæ contentivæ, ob suam profunditatem, & concavitatem unde quidquid recipit continet & custodit, ita & Bñna Virgo, vere vas est divinorum charismatum dona abundantissime & felicissime continens, non immeritò ab Archangelo *Gabriele* gratia plenum assertum, nec solum, quin & ipsum omnium gratiarum, & benedictionum fontem in se conti-

nuit. Mandarat olim *Aaroni Moyses*: *sume Vas vacuū & pone ibi manna, ut custodiat in futuras retrogenerationes: Exod. 16.* Per hoc Vas non incongrue Bñā Mater designatur, utpote quæ verum illud & cœleste Manna: cibum dulcissimum, continentem in se omnem dulcedinem, & laporis suavitatē, refectionē inquam animarum sanctarū, *Christum IESVM* qui de se ipso asserit: *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. Ioann. 6.* Et *caro mea vere est cibus*, in se continuit, & ex se generavit. Imò quod in hoc vase magis mireris ipsum simile est vasi jocularis: joculatores enim in vase videntur aliquando quod parvum est, ponere res maximæ quantitatis: id revera in Vase MARIANO factum est in quo Deus pater posuit filium, suum unigenitum, cœlum & terram suam majestate & immensitate implentem: ut congruentissime huic vasi accinat Ecclesia *Quia quem cœli capere non poterant tuo gremio contulisti.*

Secundo illud ipsum vas dicitur solidum (*Quasi vas inquit solidum*) propter fortitudinem magni vigoris, vas enim solidum & firmum majoris est virtutis, majoris apud



apud divites æstimationis, hinc vasa testea  
 stænca lingnea & his similia à domibus di-  
 vitum exulare solent: fuit equidem vas no-  
 strum spirituale solidissimum, quod nimi-  
 rum nulli adversitatum mallei confringe-  
 re & dissipare, nullæ procellarum, vento-  
 rumque tempestates, ullo modo invalida-  
 re aut subruere, possent: ipsa est enim for-  
 tissima illa mulier, quam diu multumque  
 quæsitam & in finibus terræ inventam pro-  
 clamat prodigium sapientiæ, *Davidis in*  
*folio hæres.*

Nec minus ad laudem hujus sacratissi-  
 mi vasis facit quod sit *ornatum omni lapide*  
*pretioso*, ut quod de pulcherrimo olim om-  
 nium Angelorū, jam omnium dæmonum  
 teterrimo enunciavit *Proph. Ezech. cap. 28.*  
 merito asseveres scilicet: *Tu signaculū simi-*  
*litudinis plenus sapientia, & perfectus decore,*  
*in delicijs paradisi Dei fuisti, omnis lapis pre-*  
*tiolosus operimentum tuum: sardius, topazius,*  
*& jaspis, Chrysolitus & Beryllus & Onyx, Sa-*  
*phyrus carbunculus, & smaragdus: aurum opus*  
*decoris tui, & foramina tua in die qua conditus*  
*es preparata sunt.*

## §. 2.

**D**E Doctore mellifluo MARIÆ corcu-  
lo referunt scriptores fide digni, eum  
in tantum fuisse à corporalium oblecta-  
mentorum sensu & gustu abstractum, in  
tantum mortificatum, ut tota die juxta flu-  
vium equitans eundem non viderit: toto  
anno in cella habitans, quod fenestras ha-  
beret ignoraret, & oleum pro cerevisia su-  
meret, diceres non hominem sed Ange-  
lum carnalia omnia supergredientem: At  
longe excellentior fuit admirabilis matris  
in sensuum exteriorum, interiorumque af-  
fectibus mortificandis diligentia: mortu-  
am potius quam viventem aut certè dor-  
mientem crederes sensibus corporeis liga-  
tis & quasi obtupefactis.

Contingit quandoque vino satiatos in  
tam vehementem incidere somnum, ut  
nulla arte excitari queant: Id ipsum acci-  
disse Virgini sacratissimæ videtur: videtur  
inquam è vino amoris sibi à cœlesti sponso  
propinato, tam alacriter sumpsisse, ut cor-  
poreis sensibus omnibus quasi stupefactis  
sol<sup>o</sup> in ea spiritus vivere crederetur. *Ego in-  
quit dormio & cor meum vigilat.* Et quæ cau-  
sa tam

fa tam gravis, suavis tamen saporis? en cau-  
 sam: eam immediate ante sponsus invitarat  
 ad sumendum amoris à se propinati pocu-  
 lum, *comedite inquit amici, bibite & inebria-  
 mini charissimi*: Ac si apertè diceret, *intro-  
 duxi vos in cellam vinariam ut ordinarem in  
 vobis charitatem*, nec est charitas ordinata,  
 nisi cum mens vestra fuerit vehementia  
 charitatis inebriata. Mox sponsa charissi-  
 ma dormire se refert: *Ego inquit dormio*, ac  
 si dicat dilecto, tu me ad ebrietatem vocas  
 & ego tota huic muneri vaco, *ego dormio &  
 cor meum ad te vigilat*: Ab alijs dormio &  
 quiesco negotijs, dormio corpore, dormio  
 omnibus corporis sensibus, idcò cor me-  
 um liberius vigilat ad sectandam hanc e-  
 brietatem & vinum potandum. *Ordo mira-  
 bilis exclamat Gillebertus*, alter sui sæculi:  
*Bernardus de ebrietate dormitio & de dormi-  
 tione vigilia, ille dicit inebriamini, & illa dicit  
 ego dormio, bonus sopor mentis excessus, & alie-  
 natio ab affectibus carnis & (si id etiam dicitur)  
 à sensibus corporis, tunc magis viget, & in vigi-  
 lat amor spiritualis, cum consopitur penitus o-  
 mnis passio & affectio animalis. Ego dormio &  
 cor meum vigilat, dormiunt alijs somnum suum*

& delectatio eorum in propria voluntate quiescit à talibus ego dormio, & vigilat cor meum tibi: ab increpatione tua Domine dormiunt alij ego ab incrapulatione, ego inquit dormio & cor meum vigilat, dormio non increpata, sed incrapulata à vino, ad quod vocas charissimos tibi. Crapula ebrietatis tua mundo me tollit, & tibi tradit, soporat, & excitat, secularium oblivisci facit, & tui non sinit. Ego dormio, dormi mecum juxta illud quod in Salomone definis, si dormierint duo simul forebuntur mutuo, sic fiet ut ex dilecti presentia ob vehementiam amoris cor meum vigilet: cor meum vigilat cum tuus amor in eo amplius viget: dulcis somnus & dulce somnium, nescire alia, solum te scire, vacare tibi, & te videre sicut hic datur per somnium, ut sic dicam per umbram & enigma.

§. 3.

**E**X quibus ni fallor excellentissima sacratissimæ hujus Virginis mortificatio & delectationum sensitivarum abdicatio luce meridiana clarius patet, patet etiam quantopere contemplationis meditationisque seu orationis mentalis amore accensa fuerit, in tantum quidem ut etiam corpore dormiens adhuc mens ad cœlestia ele-

stia elevaretur, illumq; contemplari nitebatur, cuius amore incessanter æstuabat. Et tamen (inquit *Ambrosio lib. 3. de virg.*) cum quiesceret corpus vigilaret animus, qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænunciat: Conformiter *Ambrosio Dionys. Carth.* in præducta verba: Ego dormio & cor meum vigilat. Hoc inquit præclarissima Sponsa verbi æterni sanctissima Virgo præeminenter dicere potuit, quia contemplativissimam vitam duxit, & ab exteriori tumultu omnique inordinato strepitu, & cura superflua atq; inquietudine culpæ penitus abstinens & sopita vigilantissima mente Deo vacavit, pro Ecclesia exoravit, actibusque virtutum in termino excellentia perfectissimis jugiter fuit intenta. Denique in somno corporali cor ejus per vigil fuit, & ex assidua assuefactione perfecte insistendi divinis, ex ardentissima & exercitatissima charitate, ex splendidissima & exuberantissima sapientia sibi infusa, & contemplatione in vigilijs penè aut prorsus continuè, etiam tempore somni vigili corde fuit Deo conjuncta, & pro commissa sibi Ecclesia vigilare non cessat. Et item explicans *Cant. verba.* In lectulo meo per

noctes quasi vi quem diligit anima mea : Cer-  
 tum est inquit quod ipsa divinissima & spiri-  
 tualissima Virgo, in lectulo suo non solum spiri-  
 tuali, videlicet tranquilissimi sui pectoris pace:  
 sed etiam corporali dilectum suum præ cæteris  
 cunctis ineffabiliter ardentius, frequentius, sta-  
 bilius, fructuosiusque quasi erit, intensissime de-  
 precando, præcordialius desiderando, sublimius  
 contemplando, copiosius obtinendo. Ut non  
 immerito ab Ecclesia Vas Spirituale, ac  
 Vas insigne devotionis salutetur: et avium  
 Reginae Aquilæ merito comparari valeat:  
 Hæc enim sola ferè inter aves in altissi-  
 ma volitat, solem irreflexo intuitu aspicit,  
 ac illum solum è pullis pro suo agnoscit,  
 quem in hoc parentem imitari videt alijs  
 tanquam spurijs à se rejectis: sic & Virgo  
 Beatissima Regina cæli & terræ sola ad al-  
 tissima pennis suæ divinissimæ contempla-  
 tionis se sublevabat, divinumque solem o-  
 culis irreflexis nec nutantibus mentis suæ  
 oculis aspiciebat ac contemplabatur assi-  
 due. Imò tantus fuit hujus Virginis per  
 contemplationem in alta ascensus, ut eum  
 teste Dionys. Carth. Nullus satis mirari, multò  
 minus percipere possit: Insuper (inquit) ascen-  
 sum

San ejus in sublimitate & profectu contempla-  
 tionis nullus valet satis mirari, quam profun-  
 distimè contemplabatur altitudinem imper-  
 scrutabilis consilij superbeatissima Trinitatis,  
 super modo saluationis generis humani per in-  
 carnationem, ac cetera mysteria verbi aeterni  
 ex ea veraciter incarnati & humanati: quem-  
 admodum enim amabilissima Virgini singula-  
 riter datum est ut humane salutis mysteria ex  
 ea & per eam efficerentur: sic eminenter datum  
 est ei, ut ab ea profundius contemplarentur.

Quid jam mirum quod teste Dionisio  
 Carthus cap. 4. Cant. sua divinissima contem-  
 platione Deum quodammodo ad se attraxerit:  
 Explanans enim illa Cant. verba, *Vulnerasti*  
*cor meum* ait in persona Dei: *Vulnerasti cor*  
*meum vehementissime, attraxisti me ad te, ita*  
*quod amore tui quasi vulneratus videbar in u-*  
*no oculorum tuorum, id est, per sincerissimam*  
*contemplationem, quâ me reverentissime ac*  
*feruentissime inspexisti totis tuis præcordijs*  
*me peroptans.*

## §. 4.

**N**EC solum in contemplationis exerci-  
 tatione orationisque mentalis fre-  
 quentatione excellentissima fuit Virgo

beatissima, sed & orationis quoque vocalis studiosissima exstitit, ut ipsam meritò dixeris explevisse consilium filij hortantis, *sine intermissione orate*, tam enim B. *Aberto Magn.* teste in orando præclara fuit, ut totam ejus vitam jugem rationem esse diceris: imo per orationem tantam cum DEO familiaritatem adeptæ est ut unus cum eo spiritus effecta sit. *David* suam in orando assiduitatem & fervorem de prædicans, *media ait nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuæ, Psal. 118. Septies laudem dixi tibi*: at longe diligentior *Virgo* beatissima *Davidis Regia* filia, quæ à primo scilicet usus rationis instanti, se ipsam per jugem orationis sacrificium Domino consecrans non solum septies in die, sed totis diebus orationi instabat, insuper & nocte media consurgens ad eundem sua oratione interpellans: testatur id *Seraphicus Bonaventura*: *Surgebam ait ipsa noctis medio & quanta poteram affectione in templo petebam: Primo gratiam qua dilectionis præceptum implerem, & Deum toto corde diligerem, petebam deinde gratiam amandi, & proximum secundum Dei voluntatem & beneplacitum.*

Tertio



*Tertio petebam, ut vitam mihi Deus ad illud tempus prorogaret, quo nasceretur Virgo quæ Deum esset paritura Mater: desiderabam itaq; servaret mihi Deus oculos, quibus illam intuerer, linguam qua illam laudarem, manus, pedesque quibus ei servirem. Et nunc quæ est expectatio mea nonne Dominus? & substantia mea apud te est? Alij in alijs sua quarant gaudia, ego verò delectabor in Domino. Nimirum animatum ipsa templum erat, in quo divinitati jugiter orationis sacrificium immolabatur; Altare Thimiamatis in quo ignis divini amoris jugiter ardebat, & per orationem ad alta erumpebat, aureum thuribulum, ex quo oratio velut incensum suavissimum spirans odorem, ad nares divinas ascendebat.*

*Sacræ paginæ magnis laudibus evēhant Iuditham & Annam Prophetissam: Iuditham, quod in ædibus suis à parte superiori sibi construxerat domicilium, in quo una cum famulabus habitans orationi, alijsque pijs operibus continuo insistebat: sic & Annam eò quod numquam à templo discederet, sed orationi die noctuque instaret: sed longe ambabus excellentior Virgo sacratissima*

tissima

tissima quæ triennis Domino in templo oblata, verum se esse templum Dei, & sacrarium Spiritus sancti, oratione alijsque pijs operibus sufficientissime declaravit, per quæ quodammodo disposita & præparata fuit, ut Patris cœlestis primogenitum, & unigenitum suum quoq; & primogenitum & unigenitum efficeret.

CAPUT VIGESIMUM  
SECUNDUM.

*Encomium Marianum Vigessimum  
Sextum.*

ROSA MYSTICA.

**I**Nter figuras symbola & Hieroglyphica, quibus Beatissimam Matrem Domini sacrae paginae extollunt, ipseque sponsus cœlestis sponsam suam adumbrare conatur: dum eam *columba super rivus aquarum, favo distillanti, Cedro exaltata in Libano, Cypressso elevata in monte Syon, oliva speciosa in campis, & Platano exaltata juxta aquas in plateis, Cinnamomo & balsamo, Eccl. 24. comparat:*